Quidquid ex Instituto Græcæ Ecclesiæ matrimonia facit irrita immutabiliter Græci observabunt, præsertim gradus Consanguinitatis, tam Corporalis, quam Spiritualis inter Compatrem, et Commatrem in Baptismo contractæ.

Matrimonia Sacerdotum, et aliorum Clericorum ante eorum Consecrationem contracta, ut integrè constent iuxta Canon. 1. Conc. Sexti generalis dicentem: si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt velit Lege matrimoniali mulieri coniungi antequam Hypodiaconus vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

Clerici etiam post ordinationem sui uxores non abjiciant propria iuxta Can. 6. Apostolicum dicentem: Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat; si vero reiecerit, excommunicetur, tum Can. 13. Conc. 6 Generalis decernit deponendos eos, qui audeant post ordinationem Diaconos, et Sacerdotes cum prioribus suis legitimis uxoribus consuetudine privare, et ipsos qui ordinantur suas uxores pietatis prætextu expellentes statuit excommunicandos.

7°. Græci feria 4 et 6. in hebdomada, Monachi vero etiam secunda ieiunabunt iuxta Canon. 13. Concil. Turonen. Secundi et Canon. 5. Concil. Primi Matisconensis, et Apostolicum 69.